

Qk. 231.

(X 2000920)

Ya
626

EPISTOLA
ad
ILLUSTREM AC GENEROSISSIMUM
DOMINUM
JOH. HEINRICUM

à
TIMÆS,
SERENISSIMI PRINCIPIS COTHENO-ANHALTINI
MINISTRUM à CONSILIIS INTIMUM
ET CANCELLARIUM &c.

Quâ
Nummum L. Sept. SEVERI rarissimum,

in quò
MARS cum SCALIS

conspicitur,
è Thesauro Arnstadio-Schwartzburgico



prodit & illustrat
M. JOH. CHRISTOPH. OLEARIUS.
Ecclesiast. Arnstadiensis.

J E N Æ,
Apud JOH. BIELKIVM. Bibliop. 1696.



134 VI

134

JOHANNES WEDEL

G. W. WEDEL. de Num. Pileat. p. 2.

VIva est (Res numaria) Historia antiquæ gentis & sapientiæ, quæ exhausta nondum est omnis, sed admittit quædam specilegia à vastâ illâ messe, quæ duobus hisce seculis, imò nostro hocce maximè facta est.

JOHANNES WEDEL



JOHANNES WEDEL

134





ILLVSTRIAC GENEROSISSIMO
DOMINO
JOH. HEINRICO
à TIMÆS,

SERENISSIMI PRINCIPIS COTHENO-ANHALTINI
MINISTRO à CONSILIIIS INTIMO
ET CANCELLARIO &c.

DOMINO AC PATRONO SVO
Omni devotæ mentis cultu devenerando
S. P. D.

JOH. CHRISTOPH. OLEARIVS,
HALLENSIS SAXO.



Vàm jucunda, ILLVSTRIS AC GE-
NEROSISSIME DOMINE, itineris
istius mihi sit recordatio, quod Men-
sium aliquot præteriti Anni spacio,
cui fructu feliciter, per ubes & oppi-
da absolvi varia, Mens mea summâ
adhuc delectatione exinde perfusa,
verbis nunquam satis exprimere po-
terit. Haud enim exigua in primariis studiis, Philosophicò
pariter ac Theologicò meò, ex Bibliothecis mutis atque ani-
matis seu Viris celeberrimis (a) addiscere mihi licuit, & in
A meos

(a) Sicuti Longinus dictus *Εμψυχο* iu Porphyr. p. 12. Βιβλιοθήκη
τις ἔμψυχον καὶ περιπατῶν μουσείον. i. e. Bibliotheca animata
ac vivum Musæum. Eòdem Titulo legitur insignitus Janus
Doufa, P. de quò *Acad. Leidens.* d. 2. b.

meos convertere usus. Quæ seria, ne animum nimis defatigarent intentum, jucundis (b) miscere, ex sententiâ mihi occasio obtigit crebrior. Bibliothecæ nimirum tam publicæ, quàm privatorum Musæa rebus ut plurimum memorabilibus erant referta, quas inter plurimas varia conspexi, quæ contemplatione accuratâ, nec non admiratione summâ sunt dignissima. Verùm egregia ac splendida Tuarum, VIR ILLUSTRIS, Musarum supellex, ex libris edecumatis rebusque multifariè mirandis quæ constat, in meò præ cæteris adhuc hæret animo; Non ob præstantiam solùm earundem, varietatemque stupendam: ibi enim nostræ & exoticarum gentium scripta, arma, Instrumenta musica, Naturalia, artefacta, Numismata varii metalli, moduli, ætatis, ponderis, notæ & æstimii, ut & Romanorum imprimis Numos, gemmas, annulos, fibulas, claves, hujusq; generis plura cernere licet congesta: Sed & propter rarissimam TVAM eruditionem ac exquisitam (ast quid mirum, in quem tot animi, ingenii, ac interioris apud tantum Principem gratiæ, bona & ornamenta confluxerunt?) elegantiorum artium cognitionem, quâ optimè imbutus, cimelia singula promptè & accuratè demonstrando illustrare vales. Maximè autem memoriam harum rerum mihi refricat cimelium istud eximium, quod ex singulari TVA munificentia absque ullò meritò adeptus possideo. Urnam puto illam antiquissimam sepulchralem, quam non singularitas solum materiæ, sed forma quoque, ejusdemque magnitudo (qualem in scriptis & cimeliarchiis mihi nunquam observare licuit) quàm maximè commendat. Sicuti autem hæc ipsa, quâ

simul
 (b) Monente id *Augustino* Lib. II. de Musica: Sapientis est, interdum animum à rebus seriis revocare.

simul in eadem cavernâ repertis, fuerit detecta, peculiarem meretur historiam; Ita eandem, rebus hisce quamvis me impari profitear, lubentissimè (vires & vitam si Deus concesserit) concinnare, atque urnam hanc ipsam æri incisam, nonnullisque observatiunculis illustratam, TVÆ subicere Censuræ, promitto & spondeo. Et certè, hæc licet non sit aurea illa SEVERI urna sepulchralis, de quâ *Spartianus* (c) & *Eutropius* (d); eam tamen in nostris terris repertam, ob laudatam simul præstantiam insitam, magni æstimo, multoque auro, quod vel rustici jactitant corradendo, præstantiorem dico; sicuti præsentem quoque æreum SEVERI numum, ob eximiam suam raritatem & singularitatem mox prædicandam, aureis multis cum optimis rerum harum peritis magis habebis, quem ILLVSTRI TVÆ GENEROSITATI arrhæ loco (sicuti Jenæ aureum rhenanum in adversis Carolstadio dedit Lutherus (e) inque promissi describendæ urnæ laboris certitudinem, submissè offero rarissimum. Rarissimum inquam, non enim alibi, quod ego sciam, numus iste est editus, neque in Cimeliarchiis, quæ passim vidi & legi descripta varia, mihi unquam occurrit. Ipse Cl. *Vaillant* (f) æreos Severi numos dum dicit vulgares & obvios, inter suos rariores & rarissimos, quos l. c. sic appellat & describit, nostrum non habet. Ideoque notandum, quod prudenter celeberrimus noster *Morellius*, Antiquarius Arnstadio-Schvartzburgicus (g) asserit: *Nummorum infinitus est numerus, & terra quotidie novos è gremio suo prodit the-*

A 3

sauros,

(c) In vitâ Severi lib. 4. Hist. Rom. Scriptor. Tom. II. fol. 325. b.

(d) Hist. Rom. Lib. IIX. (e) Vid. Tom. II. Altenb. fol. 800.

Seckendorff. Hist. Luther. Lib. I. p. 302. a. *Beier*. Architect. Jen.

p. 333. 334. (f) Tom. I. Numism. Imp. Rom. præf. æreor. edit.

Paris. IV. 1694. p. III. (g) *Specim. Rei Num.* edit. 1695. Lips. p. 4.

sauros, & quod potissimum est, nec vita unius hominis, nec labor sufficit ad perlustranda cimelia, indeque colligendos numos. Publicâ ergo laude Illustrissimo Comiti ANTHONIO GUNTHERO, Domino meo clementissimo, gratulari fas est, quod singulari fato hunc ipsum Numum in Cimeterio suo possideat genuinum, eumque dignum, qui regio (b) isti Numorum thesauro insertus, tot millibus stipatus asservetur numis, è quò eundem indultu clementissimo depromere eumque depictum licuit describere publicè. Ipsius vero plus satis patefiet præstantia, si utriusque lateris Inscriptiones & figuræ, notatæ fuerint ac explicatæ. Latus enim adversum sive anticum, laureatum ostentat Severum, quem characteres græcè adscripti ita declarant: ΑΥτοκράτωρ Καίσαρ Λύκιος ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΣΕΒΗΡΟΣ Πέρτιναξ. i. e. *Imperator Caesar Lucius SEPTIMIUS SEVERVS Pertinax*. In aversò s. posticò, oppidò rarum numus exhibet typum, Martem sc. galeatum, dextrâ hastam, clypeum sinistrâ, & quod maximè notandum, *Scalas* in ulnis gestantem, idemque gradivus conspicitur & nudus. Cæterum ΒΙΖΥΗΝΩΝ sive *Bizyenorum* hunc esse numum, indicat Inscriptio.

Admodum sanè notabilis Severi nostri cernitur effigies, & in hòc nummò verbis respondet *Spartiani*: (i) *Ipse decorus, ipse ingens, promissa barbâ, canò capite & crisso, vultu reverendus*. Eandem verò magis confirmat Epigraphæ, cujus vox prior ΑΥτοκράτωρ seu Imperator, prænominis instar Cæsarum fuit appellatio, quâ Julius Cæsar primò, post reliqui successores Senatûs consultò gaudebant, teste *Svetonio*, (k) *Dione* (l) & aliis, eòque titulò summum Imperium

(b) Qualem agnoscit & fatetur laudatus *Morellius* l. c. p. 11. (i) l. c. p. 324. b. (k) in vitâ Tiberii cap. 26. (l) *Hist. Lib. II, 41. p. m. 76. edit. Francof. II, 1627.*

in Republ. indicabant. Severus autem Julianò capite da-
 mnato, appellatus est Imperator, vid. *Herodianus*, (m) *Xi-*
philinus è Dione (n) &c. Dicitur porrò *Καῖσαρ*, quæ antea
 primi tantum fastigii, mox etiam secundi erat appellatio, ita
 tamen, ut ab utrâque fuerit retenta. Adhibitum nempe,
 uti Illustris edocet *Spanhemius*, (o) hoc discrimen in numis,
 ut quæ Augusti successoribus ad Vespasiani tempora, cogno-
 minis loco cedebat, postea mutatâ sede prænominis vicem
 ut plurimum occuparit, ac pro cognomento Augustorum
 liberis aut apparitoribus, ut eos vocat *Ammianus*, vulgo sit
 relicta. Unde qui ante Imperium *Domitianus Caesar* vel *Au-*
relius Caesar in Numis vulgo appellantur, eodem adeptò, *Cæ-*
sar Domitianus, & *Caesar Aurelius* præter alios principatus
 titulos in iisdem designantur. Cæterum de origine hujus
 nominis eruditè differit vir multæ lectionis, *Zach. Goezius*,
 (p) cujus promissos (q) in re numariâ labores, optamus con-
 tinuatos. *Lucius & Septimius* prænomen erat Severi, sequens
 ΣΕΥΗΡΟΣ ipsius cognomen. Severus autem ab asperitate
 morum dictus, & pertinent huc verba *Spartiani* (r): *Damna-*
bantur à Severo pleriq; cur jociati essent, alii cur tacuissent, alii
cur plerq; figurata dixissent, ut esset Imperator verè nominis
sui, verè Pertinax, vere Severus. conf. *Vaillant* (s) Hæc autem
 græca nominis hujus scriptio est planè singularis, cùm aliàs
 legatur in numis, apud Scriptores Rei numariæ, per Diph-
 thongum *ov*, ΣΕΟΥΗΡΟΣ, hîc verò *v* pro *ov* more Græcorum
 vetusto

(n) l.c. in vitâ Juliani p.m. 585. (o) de Præstant. & usu Numismat.
 Dissertat. II. p. m. 661. (p) Dissertat. de num. II. quæ prodiit
 1692. p. 8.9. (q) Dissert. de Num. 1689. §. 10. (r) l.c. p. 323. b. (s)
 De Num. Colon. lat. fol. 71. 112. conf. *Herodian.* l.c. Lib. II.
 33. p.m. 66.

vetusto est positum, & idem observat *J. A. Schmidius* (t) celeberrimus olim Professor Academiae Jenensis, jam verò apud Helmstadienses S.S. Theologiae & Antiquitatum sacr. ordinarius, Patronus rei nummariae mihiq̄ue optimus. Alibi scribitur per Β ΣΕΒΗΡΟΣ notante *Golzio*, (u) & loco η inseritur α, ΣΕΒΕΙΡΟΣ, apud *Occonem*. (x) Pertinax denique dicitur in numo, de quò cognomine scribit *Orosius*: (y) *Severus se ex nomine Imperatoris, quem occisum ultus fuerat, Pertinacem appellari voluit*. Ipse sc. Severus eos, qui Pertinacem Imperatorem occiderant, morte multavit, Pertinaci parentavit hujusq̄ue mox suscepit cognomen, quod non Illyricis modo, sed Romano etiam populo gratissimum fore suspicabatur, teste *Herodiano*. (z) Quamvis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum, quâ de re *Spartianus* (a.) & *Eutropius* (b.) Laurea Severi, ornatus quæ Augustorum, fasciâ cernitur præligata; corona illam magis aureâ æstimarunt Imperatores, dum eam à Diis traditam fulmine non tangi, eâque Deos qui violasset, expiare posse opinabantur; hinc non Colonia solùm Cæsareæ Augustæ, Imperatori Augusto, in numis solam exhibebat lauream, sed & ipse Tiberius, cœlo tonante, capiti suo imponebat timidus. (c) Adhæc paludamentò fibulatò Severus conspicitur

vesti-
 (t) Vid. Epist. de Numo Philip. edit. Jenæ 1692. p. 4. (u) Thesaur. Rei antiquar. p. m. 84. 85, edit. Antwerp. 1618. (x) Numism. Impp. Rom. edit. August. Vindel. 1601. IV. p. 363. (y) Lib. VII. cap. XI. (z) l. c. Lib. II. 35. 36. 37. (a) l. c. 322. a. (b) l. c. 657. b. (c) De quibus prolixius agit *Plinius* Hist. Nat. lib. XV. 30. *Suetonius* in Tib. vitâ cap. 69. *Dio* l. c. lib. 49. *Aldrovandus* Dendrolog. lib. I. p. m. 96. b. *Sponius* Recherch. Curieuses. d' Antiquité Dissert. I. p. m. 9. 10. *Polyd. Vergilius* de Invent. Rer. lib. II. 17. *Vaillant* de Num.

vestitus, quod Nonio (*) dicitur chlamys, & Isidorus (†) describit, quod sit vestis, quæ una parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur. Huc etiam apprimè spectant Spartiani: (d) Severus tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpura haberet, & cum birtâ chlamyde humeros velaret. Hic autem Severus noster, postquam occisô Julianô A. C. 193. rerum esset potitus, sextamque in Christianos persecutionem exercens octodecim Imperii sui annos in cædibus ferè perpetuis bellisque absumsisset, Eboraci decessit admodum senex, ætatis anno 62. ubi moribundus dixit: *Cuncta fui; conducit nihil;* urnamque suam paulò ante obitum sic allocutus: *Tu virum capies, quem totus terrarum Orbis non cepit.* (e)

Strenuum hunc & felicem bellatorem Bizyeni præprijis subditi prædicant Severum, dum Martem Gradivum eumque singulariter armatum ipsi faventem in hoc præsentant nummo. Id quod BIZYHNΩN addita innuit Epigraphe. Hi Bizyeni incolæ erant Bizyæ antiquissimæ Urbis in Thraciâ, hujusque Regum arcis splendidissimæ, quæ hirundinibus ob Terei nefandum crimen dicitur invisa; non quod illic facinus patratum sit, (in Daulide enim oppido Phocidis contigit) sed quod ea Terei Patria fuerit, qua de re præter Tbucyd. Stephan. Pausan. conf. Plin. (f) & Vadianus

Num. Colon. Lat. fol. 20. Paschalius de Coronis Lib. IIX. cap. 1. Onuphr. Panvinius de Triumpho Commentar. ibique in notis Maderus p. m. 58. 59. aliique plures, quos suo loco evolvisse non pœnitebit. (*) De proprietate Sermon. cap. 14. (†) Origin. lib. XIX. c. 14. (d) l. c. fol. 324. c. (e) Conf. Xiphil. è Dione, Herodianus. Spartianus, Eutropius ll. cc. in vitâ Severi. (f) l. c. Lib. IV. c. 11. lib. X, 24.

nus (g) &c. Sicuti autem BIZYA *Stephano* dicitur BIZEN teste (b) *Calepino*, BYZIA *Plinio*, (i) aliis BISA notante *Spanhemio* (k); Ita & ipsi Bizyeni variè leguntur. Multæ enim literæ ob soni vicinitatem, aut ex veteri consuetudine, vel loci dialecto promiscuè usurpantur, unde duplex (l) nonnunquam in nummis cernitur scriptura. In nostrò legimus BIZYHNΩN, in aliis BYZYHNΩN; Accedit Διτρογραφία plurimarum Urbium, inter quas Bizyam quoque invenies; in Numis enim Hadriani & nostro Severiano BIZYHNΩN, in aliis autem Philippi ΒΙΣΣΗΝΩΝ & ΒΥΖΥΗΝΩΝ inscribitur. Bizyam porrò novimus Urbem Thraciæ Provinciæ Cæsareæ, utpote quæ ex earum numero, quam post Provinciarum divisionem ab Augusto institutam, in Provinciæ formam legimus redactam, & quidem sub Vespasiano ut *Tranquillus* observat, id quod in specie de Thraciâ, quod sc. Cæsari accesserit non populo, firmant lapides antiqui ap. *JII. Spanhemium* (m) quâ de re omninò conf. *Onupbr. Panvinius* (n.) Bizya itaque Urbs Cæsarea Severum quoque Cæsarem (id quod & alii Thraciæ incolæ fecerunt, in numis *Patini*, (o.) imò ipsi Bizyeni, aliis temporibus cudi curarunt nummos etiam in honorem Hadriani, M. Aurelii, Faustinae Jun., Philippi Patris, quos è Cimelio regio *Harduinus* (p) notavit,) suum agnoscit, dicit, ejusque negotia bellica (quæ egregiè extant in Arcu Severi à *Svaresio* (q) illustrato) nec non expu-

gnatio-
 (g) in Notis ad Pomp. Melam. edit. Basil. 1522. fol. 103. (h) Lexic. h. v. ibique cc. Aa. (i) l. c. Lib. IV. 11. (k) l. c. Dissert. IX. p. m. 907. 909. (l) quod observat. *JII. Spanhemius* l. c. Dissert. IX. p. 907. 908. 909. (m) l. c. Dissert. VI. p. 561. (n) *Descript. Imp. Rom. Lib. III. p. m. 368. 406. 416.* edit. Francf. 197. (o) *Impp. Rom. Numism. Ær. fol. 282.* (p) *De Numis Popul. & Urb. p. m. 93.* (q) Prodiit hoc scriptum Romæ, Typis Barberinis 1676. cum additis Tabulis æreis.

gnationem cujusdam Urbis notabilem hōc nummō indigitare conatur. Memoria nim. sempiternæ tradere voluere Bizyeni, Byzantium Thraciæ urbem maximam felicissimamq; , viribusque & opibus (r) eâ tempestate florentem, per triennium à SEVERO obsessam, A. C. 196. favente Marte fuisse expugnatam. Et scalæ additæ muros ipsius Urbis validos atque ingentes feliciter exuperatos indicant atque everfos. De quibus *Herodianus*, (s) *Ruinas*, ait, *ipsas reliquiasque cūm videris, mireris utique vel eorum artificium, qui primi extruxerunt, vel horum vires, qui deinceps sunt demoliti.* Hos adhuc integros vidit *Dio*, (t) (qui ævo Severi floruit, eoque major ei fides adhibenda est) eosque laudat sequentibus: *Habebat Byzantium Mœnia munitissima, quorum dorsum exterius extructum erat magnis & quadratis lapidibus, tabulis inter se ex ære conjunctis, interius aggeribus ædificiisque ita fuerunt munita, ut tantūm unus murus firmissimus esse videretur, super quem ambulari poterat, ego quidem mœnia ita diruta spectavi, ut si ea Barbari cepissent, non Romani: Videramque ea, cūm adhuc starent, eorumque sonitum, quem edunt, audiveram. In his septem turres à portis Thraciis ædificate spectabant ad Mare, quarum reliquæ quidem per se vocales non sunt; Quod si autem quis in primâ turri vocem emisisset, aut lapidem in eam conjecisset, tale erat in eâ artificium ac Machina, ut is statim sonus ad secundam, indeque ad tertiam & omnes deinceps interceptus perferretur.* Byzantiō itaque singulariter ita munitō à militibus Severi captō, tantam lætitiā percepit ipse SEVERVS (tūm erat in Mesopotamia) ut dixit:

B 2

rit:

(r) his verbis eam laudat *Herodian.* l. c. Lib. III. 2. p. m. 87. (s) l. c. p. 87. (t) vid. *Xiphil.* è *Dione* p. m. 588. 590.

rit: *Tandem Byzantium cepimus*: Urbem ipsam postea omnemque regionem, quæ sub illius potestate erant, Perinthiis concessit, qui eâ usi sunt ut vicô, & à nullo genere injuriæ temperarunt. Quæ tamen Byzantiis non adeò dura visa, quàm quòd mœnia urbis everterentur decantatissima. Bizyeni itaque, Thraciæ incolæ æquè ac Byzantini, singulare istud negotium bellicum felicissimè peractum, Marti suo (quem apud Thraces natum (u) primario colebant, teste *Euripide*, qui Thraciam Martis domicilium appellat & Strimonium Martem ipsum ab amne ejus terræ) tribuentes, simulacrum ipsius in numo hoc posuerunt, qui pectore nudo idèò cernitur, quia in prælium ingressurus eò animò esse debeat, ut adversò pectore fortiter se omnibus periculis opponat, vel, ut *Jsidorus* (x) dicit: *ut bello se quisq; sine formidine cordis objiciat*. Hasta & clypeus potissima belli denotant instrumenta, ubi notentur (y) *servii* verba: *Quod is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressurus, primò Ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens, Mars vigila!* Et *Statius*, (z) *arma Martis* dicit, *sunt galea, quæ ardere, ac fulmen ei coni loco affixum esse videbatur -- clypeus luce sanguinea fulgens &c.* Conspicitur porro festinanter procedens, ideoque *Gradivus* appellari solet, nec malè explicat *Jsidorus* l. c. *Mars autem apud Græcos Gradivus dicitur eo quòd in bello gradum inferant, qui pugnant, aut quòd impi-*
grè

(u) Conf. *Herodot.* l. IV. qui Martem Thracum nominat pulchrum. Nam unicè aliquando ab ipsis cultus est, adeò ut cum intonuit aut fulguravit, sagittis in cœlum missis Jovi minitati sint, cum nulli alii div. honores, nisi Marti suo tribui vellent. vid. *Mele* *Descript.* Thraciæ ibique in notis *Vadianus* p. m. 100. (x) *Origin.* Lib. VIII. cap. XI. (y) ad *Æneid.* conf. *Bebel.* *Dissert.* II. de *Theol. Gentil.* E. i. a. (z) Lib. VII. *Thebaid.*

grè gradientur. Addatur *Festus* (a): *Gradivus Mars à gradiendo dictus in bella ultro citroque*: & denotat h. l. felicissimos Severi progressus bellicos, in præliis & obsidionibus t. t. quos habebat. At, hæc vulgaris & obvia est Martis Imago, quam fusius notavit *Vossius*, (b) *Chartarius*, (c) *Museum Ludov. Moscardi* (d) & alii. Nostrum planè singularem reddunt *Scale*, quas in ulnis portat; Earundem inventorem *Capaneum*, figuram variam usumque creberrimum memorat *Ovidius*, (e) *Vegetius*, (f) *Lipsius*, (g) aliique huic Aa. cc. Et licet hæc lignæ fuerint ferè omnes, *Majolus* (b) tamen laudat aureas & argenteas his verbis: *Sultanus Babylonicus, cum adversus Tartaros, Gregorio IX. Pontifice, totis collectis viribus levi ex causâ irrumperet, devictus ab iis est ob summam socordiam, nil metuens, hostem contemnens, prostigatoque innumerabili exercitu, præda omnis ad victorem Tartarum cesit. Collegimus autem innumerabiles ejus copias ab ipsa præda: comperta enim fuere quadraginta millia curruum loriceis & armis onustorum, & quadraginta bastarum millia, quarum cuspides auro, non ferro prominebant, ut fastus semper apud hujusmodi barbaras gentes virtute major extiterit. Fuerant in eodem exercitu Scælæ prorsus aureæ & argenteæ, ut refert ex ejus autoribus S Antoninus p. 3. tit. 19. c. 8. §. 15.* Cùm autem in aliis numis simulacrum Martis plerumque gaudeat titulo s. Inscriptio, eique præsertim, quod Martem nudum, galeâ, hastâ

B3

cly-

(a) De verborum significat. h. v. (b) De Orig. ac progressu Idolat. Lib. II. 34. & c. (c) de Imagin. Deorum, edit. Lugd. p. m. 265. seqq. (d) Lib. I. cap. 19. pag. 36. 37. (e) Lib. IV. Trist. Eleg. 3. (f) de re militari Lib. IV. cap. 21. p. m. 32. a. (g) Poliorcet. Lib. I. Dialog. VI. (h) Dier, Canicul. fol. m. 294. b. edit. Francof. 1642.

clypeoque armatum ostendit gradivum, sequentes sint additæ, *Mars Ultor*, (i) *Marti Propugnatori*, (k) *Marti Patri Propugnatori*, (l) *Marti Conservatori* (m); Ita Mars noster Severianus ob scalas novam & aliam meretur appellationem, & non ineptè *Mars Expugnator* dici poterit, dum Urbem & muros designat expugnatos.

Cæterùm ex his apparet, VIR GENEROSISSIME, quanti numus iste sit habendus, qui scalis suis Martialibus nunquam alibi visis, gradum dignitatis consequi summum, imò per hosce gradus ad summum æstimii fastigium pervenire posse videtur. Neque tamen laus sua hujus numi contemplationi ac decus abunde constaret, nisi ex eâ mirifica solum oblectatio, sed & *utilitas* simul emergeret. Illi itaque, qui imperitè nobilissimo rei numariæ studio CVI BONO? oggariunt, sciant, ex nostro etiam Severiano (teste *Cupero* (n) ipsos *Principes* fructus capere posse peculiare. Sicuti n. Q. Fabio Maximo & P. Scipioni, majorum Imaginibus visis, animi vehementissimè accendebantur ad virtutem, mentesque suas, præclarissima Romanæ Reip. lumina, cogitatione tam excellentium hominum conformabant: ut C. Julio Cæsari Gadibus Herculeis Alexandri statua stimulos subjecit: ut Themistoclem quiescere non sinebant tropæa Mil-

tia-

(i) vid. *Occonis* l. c. aureus Sev. Alexandri. conf *Guil. du Choul* edit. Vefal. 1672. IV. p. 205. (k) qualem ap. *Cl. Begerum* in *Thes. Palat.* fol. 337. *Vaill.* Num. Imp. Tom. II. p. 344. &c. (l) qui extat in numo Constant. M. æreo. ap. *Occon.* l. c. *Oifel.* in *Comment. ad Num. select.* Tab. 39. n. 12. *Car. du Fresne* Tab. IV. *Hist. Byzant.* (m) vid. Gal. Maximini nummus ær. ap. *Mediobarb.* in *Occone* aucto. (n) in *Dissert. de utilitate, quam Principes ex Numismatibus capere possunt, quæ accessit Ejusdem Apotheosi Homeri* edit. Amstelod. 1683. p. m. 307. 308.

tiadis; ita nullus dubito, quin tam in genere spectatis tot optimorum Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque vultibus, quam in specie nostri SEVERI gloriosissimi, flamma gloriæ in pectore ipsorum crescat, ejusque virtutes Principe dignas imitari famamque optimam exinde consequi conentur. Et hinc factum, ut Principes & Magnates in exoticis & Germaniæ præprimis locis egregia sibi comparaverint Numophylacia, quorum multa recenset *Patinus*. (o) Etiam *Theologi* spartam inde suam exornare poterunt, dum abominandum Martis simulacrum ejusque cultum à Bizyenis præsertim exhibitum singularem observant, & pro Dei veri religione cultuque verò revelatò salvificò gratias agunt sempiternas, superstitosam quoque Lauri opem explodunt, cum fulgura ipsam non curent, sed sola arbor Crucifixi placare queat Numen iratum. Addiscunt *Politici* Cæsarum vestitum, ornatum & titulos, subditorum reverentiam & affectum erga Principem, Urbium privilegia numos cudendi cognoscunt antiqua. Metallum Bizyenorum singulare & exoticum scrutantur *Physici*, ex quò sc. nummus iste conflatus, hujusque æruginem explicant causis. *Historicus* res notat in nummo signatas, eumque testimonii loco firmissimi adducit in Historiâ Severi ac Bizyenorum illustrandâ. Bizyam Urbem antiquam, ejusque incolas Severi adhuc ætate fuisse superstites, intelligit *Geographus*. Conspiciunt *militēs* veterum armaturam eorumque instrumenta bellica, scilicet nimirum, galeam, clypeum, hastam, & paludamentum; nostri quoque Severi fortitudinem bellicam æmulari eò ipsò jubentur. *Grammaticus* & *Criticus* literarum,

ad-

(o) Hist. Numismat. cap. XXV.

4/4 626 16
§ (16) §
advertit ductum vetustissimum, ubi Λ pro A. (ρ) ε pro Σ,
ω pro Ω (q) apparet; Vocum abbreviaturam, ΑΥ. i. e. ΑΥ-
ταρχάτωρ, Κ. i. e. Καίσαρ, Λ. i. e. Λακκι, ΕΠ. i. e. ΣΕΠ πύμι, Π. i. e. Πέρπναξ. Elisionem, τ pro οτ; Scriptionis varia-
tem ΒΙΖΥΗΝΩΝ, ΒΥΖΥΗΝΩΝ, ΒΙΣΣΗΝΩΝ, item ΣΕΥΗΡΟΣ,
ΣΕΒΗΡΟΣ, ΣΕΥΕΙΡΟΣ, &c. de quibus supra. Sclarum
antiquitatem, Differentiam, figuram & usum percipit *Archi-
tectus*. Numi delineationem & scalpturam *monetarius* imi-
tatur artificiosam, atque errorem literæ Ζ perversæ emen-
dat in suis. Rei numariæ qui studet, hæc singula contempla-
tur, nummiq̄e modulum, æstimium notat & criteria genui-
ni, ipsum asservat & declarat notabilem. Et quæ hujus ge-
neris aliæ aliorum sunt observationes plures, quas recensere
ac illustrare singulas, impræsentiarum nostri non est. Sufficiat
Severiani nostri demonstrata quodammodo utilitas, quæ
cum summâ delectatione est conjuncta. At quantum ex tot
millibus antiquorum ectypis innotescit scrutanti! Quâ de re
alibi. Hæc interea sunt, VIR GENEROSISSIME, quib9 æreum
hunc Severi Numum explanare volui rarissimum, volui in-
quam, non ignorans, voluntatem quoque, cum desint vi-
res, esse laudandam; imò sæpiusculè mihi venit in mentem
peculiare *Familie TIMÆANÆ Symbolum*: BENE NITI IN
ALTVM, VIRTVTIS EST: PERVENIRE FELICITATIS.

Dabam Arnstadii, Cal. Octobr. Anno Æræ Christianæ
clo lcc xcv.

(p) vid. *Eduardi Bernardi* Tabula, Oxon. edit. 1689. qui talem li-
teræ Λ & ε figuram dicit A. C. N. 500. annis in usu fuisse. (q) quæ
literæ ω signatura non in numis solum quibusdam Philippi,
Antoninorum & Augusti, teste *Spanhem.* l. c. Dissert.
II. p. m. 55 sed & jam ante Christum natum tempore Ale-
xandri M. invenitur ap. *Bernard.* l. c.

Qk. 231.

Ya
626

ILLUSTRE
JOH.

SERENISSIMI PR
MINISTR
ET

Nummum


MA

è Thesauro



M. JOH. CH

Apud JOH.



Kodak
LICENSED PRODUCT

©The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black